DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
HELLEBORI NIGRI
INDOLE CHEMICA ET USU MEDICO

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA
IMPETRANDIS HONORIBUS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

DIE XXV. M. MAII A. MDCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MICHAEL TOBIAS

THRONA - TREVIRENSIS

H. L. Q. S.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO
EXPERIENTISSIMO

GODOF. LANGERMANN

MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM
REGI A CONSILIIS STATUS IN SUMMO MAGISTRATU
RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS
PUBLICAE ETC. ETC.

VIRO

CUM DE UNIVERSA REPUBLICA LITTERARIA, TUM DE MEDICINA OPTIME
MERITO

PATRONO ET FAUTORI

SUMMOPERE COLENDO

HOCCE SPECIMEN INAUGURALE

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Helleborus niger est planta classis polyandriae polygyniae. Ἑλλέβορον s. ἐλλέβοραν ita vocatum esse censent ab ἔλειν seu ἑλλεῖν (agitare) et βορα (pabulum) quod purgans veterum drasticum frequentissimum fuisset. Nomen specificum a radicis colore ipsi tributum videtur.

Planta haec perennis in Alpibus Austriacis Apenninis et Pyrenaeis variisque aliis regionibus montosis sponte crescit. Apud nos cum hyeme, vel media sub nive candidum suum florem emittat, in hortis decoris causa magis quam in usum medicum colitur.

Radix hujus plantae ex tubere subgloboso magnitudinem fere nucis moschatae adaequante profert undique breves ramos articulatos, ex quibus proveniunt fibrae copiosae, teretes, sex pollices et non raro ad dodrantem longae, quae in annosioribus contorte plicatae sunt. Crassiores sat glabrae, crassitie secalis cerealis calamum referunt; fibrillae vero recenter effossae subhirtae sunt. Color ipsarum extus nigricans, intus albidus est.

Odor radicis recentis nares sensu acri et nauseoso infestat. Sapor amaricans et subacris, primo apicem linguae, dein vero totum ejus dorsum ipsamque basin afficit, ac sensationem faucibus ingratam, quam aliquis linguae stupor insequitur, relinquit Exsiccando rugosae fiunt et fragiles, tertiaque parte gracilescunt.

E radice juxta scapum, folia pedata enascuntur, quorum petioli subcanaliculati ac succi pleni, in parte inferiori, velut et scapi punctis purpurascentibus notati sunt. Singulis insident plerumque foliola septem, satis firma et crassa, viridissima, hinc inde maculis sive striis nigrescentibus picta, quae mediam inter cunei figuram et oblongam habent. Margines ipsorum ad basin integerrimi, apicem versus serrati sunt.

Scapus est subnudus et tantum non semper biflorus Sursum tendens ad spithamatis altitudinem sensim fit tenuior, usque dum in pedunculos brevissimos abit, qui bracteis plerumque duabus, quodammodo in vaginam confluentibus instructi sunt.

Flos alter demum expanditur, cum alter ejusdem scapi jam dudum evolutus, marcescit ac dilabitur. Calix omnino nullus adest, ideoque flores quovis involucro destituti sunt; penitus albi aut extrinsecus subrubelli aut striis rubentibus variegati rosarum ad instar explicantur. Petalis quinque constant, quae inter et stamina nectaria intercedunt bilabiata, tubulata pistillorum basin

cingentia. Stamina multa numero, germini insita prostant, pollinemque in pistilla spargunt, quorum filamenta staminum e medio exsurgunt. Pistilla dum abeunt in fructum velut in capitulum capsulae quinque aut plures, erectiusculae, compressae, in cornu plerumque desinentes, maturitatis tempore secundum longitudinem dehiscentes ac seminibus pluribus subrotundis vel ovatis foetae, colliguntur.

Radicis hellebori nigri descriptiones variae et a praemissa et inter semet ipsas non raro differunt; neque mirum cum jam longo ex tempore radices multarum stirpium plane diversarum huic nostrae substitutae sunt, quarum tamen botanographia supervacanea esset, cum omnes hae plantae ipsae characteribus distinctissimis facile dignoscuntur, solas igitur radicum seorsim spectatarum notas essentiales expositurus, ab ejusdem generis speciebus initium faciam.

1. Radices hellebori viridis qui in Helvetia, in montibus Vignensibus enascitur, teste Hallero, [1]) ac vel suadente Geoffroyo [2]) jam dudum hellebori nigri loco adhibitae sunt. Dignoscuntur fibris multo tenerioribus et brevioribus, quae intus non tam albidae, extus atro virides, et exsiccando nigriores redduntur. Sapor magis est nauseosus et acris, unde quoque medicorum nonnulli hanc

---

1) Stirpium Helveticar. Synop.

2) Traité de la matière médicale tome II. p. 122.

speciem tanquam efficaciorem prae nostra adhibere malunt.

2. Radix hellebori foetidi in permultis Europae sylvis crescentis rhizoma habet fere perpendiculare quinque ad decem usque pollices longum, ad apicem extenuatum. Fibrillae dispersae rhizomate breviores sunt. Omnes plantae recentis partes magnopere foetent. Sapor simul amarior est et acrior, majoremque nauseam movet.

3. Hellebori hyemalis in multis Helvetiae Italiae et Austriae regionibus frequentis radix est tuberosa, breviores autem fibras profert intus ex albo helvolas, extus cuticula fusca tectas. Sapor primo nullus esse videtur, deinde vero os et fauces magna acredine afficit.

E caeteris hujus generis speciebus in usum medicum nulla vocata est, nisi helleborus orientalis, quem verum esse helleborum nigrum Hippocratis aliorumque veterum, Tournefortius qui non nisi hanc speciem in Anticyra insula crescentem, ac suo tempore prout olim usu medico vigentem invenit, nobis asseruit.

Species aliorum generum, quae in hellebori nigri locum cesserunt, praecipue sequentes sunt:

1. Radix Adonidis vernalis in Germaniae officinis, servato hellebori nomine frequentissime prostat. Distinguitur haec, a nostra radice, rhizomate multo breviore, ex quo fibrae, quin ex di-

visione ramulorum lateralium oriantur, immediate proveniunt. Fibrae numero majores ac carnosiores octo ad duodecim pollices longae, exsiccatae magis atrae, intus albiores sunt. Penetrantem ac ingratum odorem diffundunt. Sapor est acris et dulcamarus.

2. Radix Actaeae spicatae, quam etiam Lorry [1] et Sigel [2] frequenter hellebori loco venire, annotavere, fusiformis articulata, extus nigra intus flava, parte inferiori in multas fibras, sed lignosas dividitur. Saporem et vires vix ullas esse dicunt. Pari modo Actaea racemosa abusum est, cui radices similes modo paulo crassiores sunt.

3. Trollii Europaei radices brevissimo ex capite exortae fibras copiosiores, plerumque sex pollices longas, crassitie quidem veris hellebori radicibus aequales, sed praecipue versus apices valde ramosas emittunt. Exsiccatis odor et sapor desunt.

4. Radix Astrantiae majoris e rhizomate fusiformi articulato constat, quod undique in ramos fuscos tres aut quatuor pollices longos dispescitur. Odorem et saporem hujus radicis illi contrajervae comparaverunt.

5. Cujusnam speciei Aconiti radix quandoque hellebori loco adhibita sit, non sat certo con-

---

1) Nova acta naturae curiosor. vol. 6. pag. 122. et sq.

2) Lorry tractatus de melancholia vol. pag. 2. 993.

stat; cum hujus generis plantae sibi simillimae sint, ideoque diagnosis specifica suis prematur difficultatibus. Interea binas mortes illas quas Sigel in actis naturae curiosor l. c. recensuit, Delius ibidem radici Aconiti Napelli imputavit. Ex hujus caudice tereti fusiformi fibrae copiosae ternis ramulis decompositae, tres ad quinque pollices longae proveniunt, quae siccando ex nigro gryseae et fragiles evadunt. Amaritie nulla, insigni vero acredine et virtute acrinarcotica pollent.

Helleborus Grajis etiam vocatus fuit *πολλύῤῥιζον*, sive *ἔκτομον*, frequentius vero *μελαμπόδιον*, quod ultimum, secundum historiolam aliquam a Melampo derivatur, qui furentes Proëti regis filias helleboro, aut secundum alios lacte caprarum quae hanc plantam devorarant, purgasse et sanasse fertur. Interea helleborus hic, si fabula vera est, potius albus saltem certe non noster, sed fortassis orientalis fuisse videtur, licet nomen hoc helleboro nigro reservetur. [1])

6. Veratrum album L. s. helleborus albus officinarum non sine periculo nigri loco dispenditur. Radix tamen plantae istius classis hexandriae trigyniae facile dignoscenda. Est enim conico-cylindrica, nodis et fibrillarum reliquiis huc

---

1) Dioscoridis opera ex Intrepatione Saraceni Francofurti 1598. lib. IV. p. 289.

illucve instructa, extus fusca, intus alba, saporis acerrimi urentis. Trita sternutationem vehementiorem excitans.

C. Celso helleborus veratrum nigrum audit, quod non confundendum cum veratro nigro L. quae planta veratro albo maxime affinis, ejusdem etiam vires participare dicitur. Praeterea Celsum et Graecorum interpretes sine dubio non de nostra specie, sed de orientali locutos esse patet.

Germanice vocatur Schwarze Niefswurzel sive quod circa diem Christi natalem florere incipiat Christwurzel.

Gallice ellebore noir.

Sub tanta igitur rerum confusione, tantaque copia radicum supposititiarum, quarum modo frequentissimas memoravi, non est, quod miremur, medicos de viribus hujus remedii tam longe inter se dissentire ac sibi invicem contradicere, praesertim cum jam ex pristinis temporibus adulterationes hellebori solitae sint, ideoque nulla fere experimenta habeamus, quae vera radice instituta esse sat certo constet. Nam de hac commutatione jam conquestus est Valerius Cordus,[1]) ita dicens: „nascitur ad Hercyniam sylvam sesamoidis genus, cujus radices radicarii pharmacopolis pro helleboro vendunt. Sunt enim illi simillimae sed multo in-

---

[1]) In Annotasionibus in lib. IV. Dioş cordis.

efficaciores. Hinc est, quod aliqui temere pronuncient nos vero helleboro carere.

His ex causis multi aevi nostri medici helleboro plane renuntiandum esse existimant. Cum vero alii eundem helleborum tanquam remedium efficacissimum in nonnullis morbis chronicis, et quidem pertinacissimis, maximis laudibus extollant; potius Murrayi [1]) aliorumque opinioni, qui cum vera radice genuina experimenta instituenda suadent, assentiendum est. Sed ubicunque propter observatorum licet bene practicorum contradictiones, difficultatibus implicamur, ad has solvendas prae caeteris adminiculis indolis chemicae cognitio maximum conferre nemo dubitat. Quum itaque a chemicis recentioribus harum radicum analysis nulla facta sit, veterum experimenta paucis hic proferre ipsisque quae ipse institui subjungere liceat.

De hellebori nigri natura chemica.

Speciem hellebori nostram forte solus Neumannus [2]) examini chemico subjecit, cum paucae aliae disquisitiones veterum ad eruendam commixtionem alias species objectum habuisse videntur. Sic Boulduc [3]) quoque helleborum non ni-

---

1) Apparatus medicaminum vol. III. pag. 50.

2) Chymie 2 Bd. 3ter Theil pag. 105.

3) Memoires de l'Academie de Paris 1701.

grum sed viridem in Helvetia collectum dissolvit; in simili tamen specie similes etiam partes constituentes reperire potuit. Neumannus aqua et alcohole partes aequales extrahi compertus est. Ex unciis duabus aqua coquendo prorsus exhaustis post evaporationem extracti aquosi drachmas sex et grana duo obtinuit. Cum vero spiritum vini rectificatissimum primum ad extrahendum adhibuit, pariter extracti spirituosi drachmas sex et grana duo paravit. Qua post hoc usus est aqua, extracti gummosi drachmas tres et granum unum adhuc dissolvit, ac inverso modo e radicibus primum aqua exhaustis, spiritu vini rectificatissimo etiam drachmas tres et granum unum extrahere licuit. Porro, e drachmis sex extracti resinosi drachmas duas materiae alicujus oleoresinosae separavit. Residuum totius operationis in utroque casu circiter drachmas septem pependit.

Giese [1] materiam illam, quam Neumannus oleoresinosam sat apte nominaverat, eandem esse ac illa, quam Vauquelinus [2] in helleboro hyemali reperit, eamque genericam habens, Helleborinum nominavit. In aqua prius destillatione elicita Neumannus quidem acredinem nullam observavit; at Borrichius [3] hujus aquae cochlearibus

1) Chemie der Pflanzen und Thier-Körper 2te Abtheilung S. 433.

2) Annales du Museum etc. Tome VIII.

3) In Apologia contra Conringium.

octo juveni propinatis colicam, ac duodecim cochlearibus cani porrectis vomitiones quatuor duasque alvi dejectiones exoriri vidit. Caeteroquin partes acres volatiles adesse radicum modo recentium virtus rubefaciens ac quodammodo vesicans nos edocet.

Quum autem haec Neumanni analysis suo tempore exactissima, post ultimos chemiae analyticae progressus tamen manca sit; id quod, indole partium proxime constituentium parum definita ex analogia non nisi conjicere posset, tutius experimentis eruendum erat. Cum igitur radices exsiccatas ac contusas destillationi subjeci, aqua characterem oleosum exhibens, majorum sub forma bullarum paulatim destillavit, cujus odori penetranti ac nauseoso sapor aeque nauseosus, acris et pungitivus respondit. Innatantes praeterea parvuli flocci albidi quiete in ejus superficie collecti sunt; oleum autem ipsum, quod separare licuisset non supernatavit.

Decoctum fuscum in vase retorto reliquum eundem ingratum retinuit odorem, cum sapor multo minus acris, magis amarus esset. Colum tarde permeavit ac in eo pulverem ex fusco albidum dereliquit. Amylon esse quod etiam aliis experimentis solito more, scilicet trituratione exprimi potuit, media quae vocant reagentia docuere. Color hujus pulveris subtilissimi principio cuidam e cortice radicum tinctorio deberi videtur.

Radices duabus adhuc vicibus aqua extrahendo omnium partium huic solubilium privatae et curatius exsiccatae drachmarum novem et scrupulorum duorum pondus efficiebant, cum uncias duas adhibuissem. Decoctum liquatum, homogeneum, refrigerando nonnihil sedimenti cinerei demisit.

Extractum decoctis evaporandis paratum insigniter amarum et parum acre, colore fuscum erat. Quantitatem autem nonnisi drachmarum quinque et granorum aliquot reperi. Defectus qui perspicuus erit si radicum reliquias cum hac extracti copia compares, amylon jam separatum si addas fere repletur.

Extractum hoc aquosum spiritu vini rectificatissimo, usque dum non amplius tingeretur, iteratis vicibus affundendo maxima ex parte solutum est. Drachmae duae quas non solvebat odore et sapore vix non omnino caruerunt. Hanc materiam in aqua solutam spiritus vini rectificatissimus parvis in floccis dejecit, nullam vero mutuam inter eam et salia metallica actionem observare licuit.

Alcohol ad solvendum extractum aquosum adhibitum principium extractivum continebat. Quae solutio colore flavo pulcherrimo splendens sequentia phoenomena praebuit: Aqua adjecta nullum sedimentum ac ne turbiditatem quidem liquoris clari produxit. Nulla igitur materia resinosa ipsi inhaeret. Alcohole nunc per

ignem abacto, sapor hujus principii amarus purius distingui potuit. Aqua mera solutum mixturam pariter helvolam obtulit. Ichthyocollae solutionem non turbavit.

Ferrum sulphuricum oxydatum in quantitate sufficiente aquae destillatae solutum, adjecta hac solutione, colore pulchro viridi praecipitatum est.

Solutio plumbi acetici aciduli colore pallide flaventi turbata est. Post aliquot autem tempus flocci multi secesserunt. Eundem fere effectum praebuerunt tartarus stibiatus et hydragyrum nitricum oxydulatum. Addita hydragyri muriatici corrosivi solutione flocci colore ex albo paululum ad rubrum vergente deciderunt.

Nunc ut alcohol in radices vim suam dissolventem exerceret, oportuit. Hoc modo tinctura e fusco rubra parata est, cujus sapor acerrimus ac fere causticus erat. Post evaporationem spiritus hoc extractum praeter materiam propriam resinosam parvam tantummodo quantitatem mucilaginosarum, quae huic intimius inhaerere videntur partium continebat. Spiritu igitur vini rectificatissimo rursus adjecto in integrum fere dissolutum est, ex qua solutione sub albi pulveris forma, aqua affusa dejectum est. Denique radices aethere digerendae et extrahendae erant. Hic autem praeter colorem non multum amplius sibi sumere valuit.

Residua radicum insolubilia ac insipida drach-

mas circiter septem efficiebant. Materia illa resinosa, cujus drachmas duas ac fere dimidiam obtinere licuit, hisce virtutibus excellit: eminens ipsi inest acrimonia, odorem nullum diffundit. Media snb temperatura firmitatem habet mollem ac ut dicunt butyraceam- Frigore quidem firmior evadit, nunquam autem plane dura ac multarum resinarum in modum fragilis evadere videtur. Majori calori exposita, olei exprimendi ad indolem fluit.

Acidum sulphuricum concentratum principium hoc colore primum rubro dissolvit, quae tamen solutio paulatim in nigrum versa ac spissior facta est, cum resinae magna pars in carbonem mutaretur.

Etiam acidum nitricum majorem spissitudinem postquam antea solvisset, produxit. Aqua diluendo resina dejecta est, sed, ut videtur per oxydationem ita mutata, ut nunc gelatinam demitteret quod antea non fecerat. Hanc igitur quoque mutationem quam Carolum Hatchett [1]) in resinis fere omnibus et quidem primum observasse notum est, cum ipsis participat.

Ferrum sulphuricum oxydatum nonnisi colore ex fusco flavescenti dejectum cernere contigit. Plumbum aceticum acidulum granis albis demis-

---

[1]) Journal der Chemie und Physik I 546 et sq.

sum est. Tartarus stibiatus ac reliqua, quae congrua ducens in usum vocavi, nullam actionem mutuam exhibuerunt.

Inverso procedendi modo quo prius alcohol ad extrahendum inserviebat, eadem principia obtinere licuit, ac repetitis experimentis exploratum est centum radicis partes continere:

resinae mollis acris . . .	15, 6
Principii extractivi . . .	18, 7
amyli	7, 3
mucilaginis (forte cum glutine vegetabili conjunctae non enim in integrum aqua solvi potuit.) .	12, 5
principii volatilis ac reliqui detrimenti inevitabilis . . .	2, 1
fibrae vegetabilis residuae . .	43, 8
	100.

Principium illud volatile nequaquam totam hellebori vim constituere nunc perspicuum est; potius enim resina mollis et principium extractivum activa dicenda videntur. Helleborum autem, si bene conservetur, tam cito quam multi dixerunt, vires suas medicas amittere, difficile est creditu. Sin autem longa vetustate corrumpatur, hoc cum resinis acribus fere omnibus commune habet.

De helleboro nigro veneno.

Plures equidem casus, ubi helleborus niger affectiones vehementissimas ipsamque mortem pedissequam intulisse accusatur, certe supposititiis illis quarum nonnullae admodum venenatae extant, radicibus imputandi sunt. Ita non sine ratione in novis actis nat. curiosor. vol. 6. p. 150 Aconiti Napelli radicibus tribuuntur mortes binae fere repentinae, quae tunc temporis, praeviis torminibus, anxietatibus vehementissimis et cruentis alvi dejectionibus acciderant; nam Freindius [1]) jam helleborum medicamen esse dixit efficax sed innoxium, quod tam leniter alvum laxet, ut saepe omnino non purget. Sed acrium fere quodvis usu inepto symptomata vehementissima et atrocissima proferre potest; helleboro autem nostro principia duo acria, alterum volatile, alterum fixum inhaerere compertum habemus. Partes volatiliores rarius evadunt noxiae, cum et quantitas illarum minor est, et cito amittuntur. Interea, sicut radices recentes cuti applicatae ipsam rubefaciunt, ac inflammationem erysipelaceam inducunt; ita etiam volatiliores quae e radicibus jamjam contusis avolant partes, nares omniaque organa respirationi inservientia infestantes, sternutationem, tussiculam et asthma transitorium produ-

---

1) Historia med. vers. Wigani p. 255.

cere dicunt [1]). Doses quantitate iniquae non necessario quidem semper hypercatharsin ejusque symptomata ac inflammationes producunt; cum hoc ex constitutione ac in morbos praedispositione variisque aliis momentis quovis in casu respiciendis pendeat; veneficia enim non sunt morbi, sed potius causae remotae, quae tamen secundum indolem suam diversam hos illosve morbos prae caeteris efficere possunt. Sic itaque radix hellebori nigri, cujus principia efficacia inprimis in systema abdominale agere novimus, functiones primarum viarum anomalas reddere, et phlogoses, nec non sympathicam totius systematis nervosi affectionem gignere solet.

Orfila [2]) vulneri canis robusti in femoris latere interiori facto pulveris radicis hellebori nigri drachmas duas inspersit, et jam post sex horae saxagesimas animal materiam mucidam albidam vomuit. Vehementes nunc vomitiones modo inanes, modo biliosae primam horam perdurabant. Postea vertigine caduca correptum est. Propter magnam extremitatum posteriorum debilitatem pedibus insistere minime potuit, ululare coepit ac denique post aliquot horas obstupefactum, interiit. Hoc experimentum, helleborum ut dicunt specifice in abdomen vires suas edere comprobare videtur; nam vul-

1) Haase chronische Krankh. vol. 2. p. 69.

2) Toxicologie Tom. 3. p. 11 in der Uebersetzung von Hermbstedt. experiment. 3.

vulnus parum inflammatum erat, cum tunica intima ventriculi et intestini recti rubicunda fuit. Quod autem in pulmonibus repertum est, effectus conaminum vomendi fuisse videtur.

Hypercatharsin vomitiones effrenes, tormina, sitim implacabilem, singultus, faucium strangulationem, sternutationem frequentissimam, convulsiones, animi deliquia, sudores frigidos, ceu vehementiores dosium iniquarum sequelas, quibus non raro mors accedit enumerant Hildanus [1]) et Büchner. [2]) His symptomatibus inflammationes praecipue ventriculi et intestinorum plerumque subesse neminem fugit, quarum vestigia non ambigua sese invenisse testatur Morgagni [3]). Torporem quendam artuum et rigidatem musculorum Scopoli [4]) accusavit.

Usu continuato molestissimam cephalalgiam cum constrictione narium, frigoris sensationem, praesertim in abdomine matutino tempore majorem, anxietatem, cordis motum retardatum, rigiditatem nuchae aliarumque partium, spasmos et dolores, parotalgiam cum ptyalismo, molimina haemorrhoidalia haemorrhoides ipsas, aliaque profluvia sanguinis, tormina et alvi dejectiones mere

---

1) observ. med. chir. cent. 4. obs. 11.

2) Dissertatio de hellebori nigri effectu salutari et noxio, praes. Büchner def. Stegeman Halae 1751.

3) De causis et sedibus morbor. epist. 59 art 15.

4) Flora Carniolica, p. 557.

mucosas, ac denique iterum animi deliquia, ipsamque mortem subvenire cum Schulzio [1]) multi alii referunt.

Cum his symptomatibus maxima ex parte conveniunt illa, quae post propinatam melampodii tincturam in sano corpore humano sese observasse contendit Hahnemannus. [2]) Hic etiam pulsum lentum et quidem tam hora prima quam sexta observavit. Praeterea paroxysmum quendam describit, cujus symptomata principalia haec sunt: aegrotum angor summus urget, tunc collabitur in terram frigidus, madore frontis frigido, voce haerente, pulsu quam lentissimo, pupilla contractissima. Nihilominus inter symptomata magis chronica refert pupillam dilatatam. Usu externo saltem hunc effectum non habere videtur; nam oculo formis fere sub omnibus applicavi, sed neque dilatavit pupulam, neque nicotianae specierum ad instar coarctavit.

Similes effectus usum hellebori orientalis insecutos esse, quippe calorem urentem in faucibus et ventriculo, colicam praecipue vero dolorem constringentem et ardoris sensum in capite dies aliquot perdurantem, qualem etiam Hahnemannus specie nostra adhibita vidit, Tournefortius observavit.

Veneficio per helleborum nigrum eadem remedia, quibus contra reliqua acria utimur, opponuntur. Primo emesin spontaneam aqua tepida adjuvare, si venenum adhuc intus urere videtur,

---

1) mat. medic. p. 152.
2) De viribus medicamentor. Tom I. p. 175.

optime conducit. Sin autem vomitus venenum jam reddiderit, aut temporis spatium tam longum quo venenum potuerit effectus suos edere, intercesserit, non amplius emetica, sed involventia, demulcentia conveniunt e. g. lac, emulsiones ex oleo amygdalarum, omniaque potulenta mucilaginosa. Acida contra veneficia per acre antehac laudata, speciatim acetum vini non congrua esse nunc inter omnes constat. Temporibus nostris remedia, quae vocant carbonea, camphora ac ipsum opium laudantur. Hujus interim classis medicamina caute adhibenda sunt, cum facile inflammationes, quae metuendae sunt, promovere possent. Quodsi magis chronicum sit veneficium, et ad reliquias ejus depellendas praestantissima sunt.

De hellebori nigri usu medico.

Quum effectus et vires ex praecedentibus jam innotescant, hic brevis esse possum; facile enim virtutes generaliores ac usus medici principia deducenda sunt. Ac primo quidem helleborum in abdominis organa vi quodammodo specifica agere omni fere tempore creditum est. Etiam recentiores hoc remedio parva dosi porrecto sensibilitatem gangliorum plexuumque abdominalium potenter augeri docent. [1])

Cordis motum arteriarumque ictum retardat. Interdum hoc remedio, sicut multis aliis sui generis acribus e. g. squilla, colchico autumnali, digitali purpurea, pulsus non modo rariores, sed et

[1]) Voigtel Arzneimittellehre Bd. 2. Abtheilung III. pag. 90.

inaequales, intermittentes fiunt, quin hoc veneficii signum aut aliud malum omen habendum sit. Cum hac virtute illa non calefaciendi conjuncta est.

Secretionum nonnullas valdopere adjuvat, praesertim abdominales, nam etiamsi refracta dosi propinetur, alvus solito saepius dejicitur. Renum actionem, licet minus ac multa alia acria diuretica, stimulat. Sudorem qnandoque movet, [2]) ac denique resorptionem qua humores huc illucve contracti stagnantes auferantur, et organa obstructa ac distenta ad volumen naturale et firmitatem normalem redigantur, augeri jam ex dictis patet.

In morbis igitur quibus torpor sive relativus sive absolutus systematis nervorum abdominis, ideoqne organorum hujus cavi subest, ac ubi humores huc collecti removendi sunt, cum fructu adhiberi potest. Parum quidem in usum vocatur propter notam istam radicis confusionem cum aliis. Sed in morbis tam rebellibus quibus helleborus est laudatus, saepe numero copia medicaminum opus est, inter quae medicus quovis in casu congrua eligere possit; non igitur harum adulterationum mala consuetudo sistit rationem sufficientem, ob quam remedio quod efficax videatur, spoliemur. Qui vero helleborum inter drastica referunt, jure suo ejus usum respuunt, cum horum copia facile cuique sat magna videatur, neque helleborus inter huic rei aptissima numerandus sit. Haec fere jam sententia fuit Iunckeri [1]) qui helleborum non tam evacuando quam corri-

---

1) Hahnemann l. c.
2) Therapia generalis Tab. III. n. 28.

gendo humores crassiores, utilitatem praebere contendit.

Morbi ipsi, ad quos vincendos vix non omni tempore helleborus multum celebratus est, nunc nominandi veniunt, et quidem:

1. Vesaniae, mania et melancholia in specie, si organorum abdominalium torpedine, excretionibus vel naturalibus, vel organismo certa sub relatione necessariis, aut retentis aut suppressis stipatae incedant, sive ab exanthematibus et impetiginibus regressis ortum ducant. Helleborum efficaciam suam saepe his in morbis methodo quam vocant antagonisticam, exercere credimus, dum enim nervi organici stimulantur, ad legem antagonismi in organismo vix non ubique conspicui, actiones systematis cerebralis nimis excedentes non raro ad normam reduci possunt.

2. Epilepsia. Sub eodem statu torpido expedit omnino abdominis organa hoc incitamento sollicitare; rarius tamen huic malo ipsi mederi videtur.

3. Febris intermittens quartana, ubi longiori temporis spatio viscerum torpedinem ac distensionem summam produxit. (Kaempf)

4. Hydrops torpidus, ubi vasorum absorbentium torpor et languor organorum partes aquosas secernentium merito accusantur. Hoc in casu, in quo jam veteres purgantia drastica adhibuisse novimus, nostris temporibns eadem remedia laudantur acri-resinosa, inter quae helleborus eminet, sed cauta manu porrecta, ita ut secretio intestinalis serosa ac motus peristalticus eo modo incitentur, quo ter aut quater per diem alvus dejici pos-

sit.[1]) Usu venire solent pilulae Baccheri.

5. Ad promovendum fluxum menstrualem ac haemorrhoidalem, sive repressum, sive retentum hellebori vim laudant inter alios Junckerus,[2]) et Hoffmannus.[3] Haemorrhoides vero passivas, ex atonia intestini recti ac vasorum abdominalium profusas Kraempf et Schraud helleboro sese sanasse asserunt. Jahn[4]) quoque in sterilitate, cui languor uteri topicus subesse videatur, ejus usum commendat.

6. In arthritide et rheumatismo sub conditionibus facile intelligendis, ac denique in impetiginibus diuturnis etiam efficax habetur; rarus autem hic est hellebori usus.

Omnes autem hos morbos plurimis in casibus solo helleboro radicitus tolli, nemo prudens contendet. Sunt enim ipsorum quamplurimi pertinacissimi ac communi judicio fere insanabiles, e. g. vesaniae, quae saepissime non solum remedia pharmaceutica, sed et methodum psychicam eludunt. Solum igitur iis in casibus ubi causae jam designatae removendae sunt, helleborus cum aptis aliis remediis aut simul porrectis aut interpositis utilitatem suam praestare potest. Sin autem empirice remedia tribuantur aegris, quod in his morbis non raro necessarium esse dolemus, etiam ab helleboro certum eventum nemo exspectabit.

In hominibus, quibus fibrae teneritas est et

---

1) Haase l. c. vol. 3. p. 467.
2) Therapia generalis Tab. III. num. 28 et in formulis medicis.
3) Hoffmannus in clave Schroederi cap. de purgantibus.
4) mat medica vol. I.

in spasmos proclivitas, medicum in adhibendo helleboro cautum ac circumspectum esse oportet. Si inflammationis abdominalis metus adsit, omnino non convenit. Quodsi autem omnes motus febriles ejus usum excludere dicantur, hujus ratio non facile est intelligenda, cum pulsum retardet, neque calefaciat.

Veteres speciem hellebori suam iisdem, quibus recentiores nostra mederi statuerunt, morbis opposuerunt, ea tamen intercedente differentia, quod plerumque laxandi scopo porrigerent, ac ne doses magnae molestiam et dolores excitarent, adjectis purgantibus lenioribus aut involventibus corrigerent. Graecos virtutem hujus remedii mentis alienationibus medendi tam specificam habuisse, ut helleboro opus habere, sive Anticyram navigare idem esset ac insanire notissimum est.

Dioscorides [1]) fere omnium veterum sensa de usu hellebori pronunciasse videtur, dicens: „prodest in comitialibus articulariisque morbis itemque melancholicis insanientibus et paralyticis. Subditum menses trahit et partus necat. Fistulas inditum ac tertia die exemptum purgat. Similiter in auditu difficili immititur in aurem. Scabiem quoque sanat etc. Quin et hydropicorum ventri cum farina hordacea et vino utiliter imponitur." Nam et Hippocrates et alii veteres fere eadem de helleboro variis in locis praedicaverant. Extat liber Hippocratis de helleborismo qui tamen suppostitius habetur, sicut et libri de morbis mulie-

---

1) l. c.

rum, cujus auctor in utero exulcerato mensibusque promovendis clysteres et pessos uterinos ex helleboro magnopere laudat. Mitto autem disquisitiones illas criticas, quaenam methodus elleborismus ille veterum fuerit. [1])

Oribasius [2]) cancrum adeo helleboro sanatum esse contendit.

Plinius [3]) eundem ad strumas bene digerendas destinavit.

Celsus, [4]) ad graecorum exemplum purgationem cum helleboro, comitiali morbo afflictis, et atra bile vexatis, aut cum tristitia insanientibus, aut iis demum quorum nervi parte aliqua resoluti sunt, valde commendat. Hos morbos indicasse sufficiat in quibus veteres speciem hellebori suam adhibuerunt, cum testimonia veterum multiplicia de hujus usu recitandi hic non est locus.

De modis helleborum praeparandi ac propinandi.

Variis sub formis helleborus aegrotis porrigitur.

Pulvis praeparatur, dum fibrae radicum rejecto tubere illo lignoso, caute exsiccatae contunduntur. Veteres etiam fibras emedullari jusserunt, [5]) quam methodum Zwelferus [6]) non inutilem tantum, sed etiam noxiam redarguit. Hac sub indole vix unquam propinatur, quum omnium maxime inepta est; omnia enim acri-resinosa sub hac facilius quam

---

1) V. I. H. Schulz de helleborismis veterum.
2) De curatione morbor. Lib. III. cap. 28.
3) Historia natural. Lib. XXV cap. 5. Seite 21.
4) De medicina lib. III. cap. 23 et lib. II. cap. 13.
5) Dioscorides l. c.
6) pharmaopoea Augustana.

sub forma quacunque alia ventriculum infestare neminem latet. Praeterea ob sensationem quam faucibus infert ingratam, aegri pulverem aversantur, ipsisque nauseam, nonnunquam adeo vomitum ciet. Siquis autem hanc eligere velit praeparationem, a dosi sat parva pulveris subtilissimi incipiat, neque vehiculum saporem involvens et actionem in ventriculum corrigens addere omittat.

Infusum aquosum ita paratur, ut drachmae duae vel quatuor cum aquae communis unciis sex vel octo infundantur ac per aliquot tempus digerantur.

Etiam decoctum quandoque paratur. Quotidie ter aut quater cochlearia duo sumuntur. His vero praeparationibus paucas inesse vires perspicuum est, quod hoc modo solum principium extractivum, saltem perparum illius resinae- mollis extrahitur. Melius convenire videtur infusio vinosa.

Praeparationes vero longe optimae sunt tinctura et extractum. Omnes etiam curationes felices, quae referri solent, hisce et quidem plerumque extracto institutas esse legimus. Sic post Antonium Musam Brassavolam, [1]) Pechlinus [2]) hellebori extracto maniam aliquoties sanatam esse testimonio suo confirmat; ac Lorry [3]) extracti granis quindecim quotidie exhibitis melancholiam sese solvisse retulit.

Tincturae formula secundum dispensat. Edimb. haec est:

---

1) De medicam. catharticis Tigurin. 1555.
2) De purgantibus.
3) De melancholia tom. 2. p. 343.

℞

Radicum hellebori nigri — ℥jv
coccionellae — ʒß
Spiritus vini rectificati — ℔jjß
Digere loco tepido per 8 dies
in vase bene clauso.

Mead hanc tincturam in mensibus provocandis specificam habens quovis die cochlearia duo parva cum aqua tepida sumi jussit. Interim a minore dosi et quidem a guttulis XL incipiendum est.

Extractum hellebori nigri v. ph. B. pag. 107 praeparatio est usitatissima. Dosis ejus a granis quinque usque ad viginti bis vel ter per diem sumenda praescribitur. In catapotiis cum aliis resolventibus junctum, aut aqua laurocerasi solutum usu venire solet.

Pilulae tonicae Baccheri sequentes sunt;

℞

Extracti radicum hellebori nigri
— myrrhae, singulorum — ℥j
pulveris herbae cardui benedicti ʒjj et ℈j
m.
Exsiccantur aëre donec
fiat massa pillularis
Fiant pillulae ponderis grani dimidii
S. decem pilulae ter per diem
sumendae.

Post Baccherum Milmann [1]) ac multi alii in hydrope has pillulas multis praeconiis extulerunt Recentiores etiam, licet non exacte hanc ad formulam confectas commendant.

Tincturam martis helleboratam, extracta illa quibus helleborus ingrediebatur composita, aliaque obsoleta taceo.

---

[1]) Animadversiones de natura hydropis ejusque curatione p. 26 et 161.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Natus sum MDCCXCV d. V m. Novembris in Thron prope Treviros ex patre Michaële Tobias et matre Catharina Epternach agriculturae operam navantibus. Educatus ad decimum tertium aetatis annum, a Reverend. Feilen pastore in Hunoltstein lingua latina graeca et gallica per annum instructus sum. Inde ad annum MDCCCXIV in Gymnasio Trevirensi classes grammaticales, caeteraque quae ibi tradebantur litterarum primordia philosophiae disciplinas, uti et scientiarum mathematicarum et physicarum elementa absolvi, ducibus: Prof. Grofsmann, Martini, Schoenberger, Wirz, Dallier, J. Meurer et H. Meurer, viris quibus ornatissimis, sicut et directori doctissimo, historiographo nostrati, Wyttenbach, perpetuas gratias habeo atque ago.

Orto nunc bello sacro pro patria secundo per menses octo chirurgi in nosocomiis assistentis munere functus sum. Reconciliata pace ab illustrissimo Goercke cui grates quas possum habeo maxumas, academiae medico-chirurgicae militaris alumnorum numero adscriptus, professorum celeberrimorum praelectiones audire contigit: osteologiam illustrissimi Knape, botanicen et historiam naturalem generalem celeberrimi Link, zoologiam celeberrimi Lichtenstein, physicen et chemiam celeb. Turte, anatomiam et physiologiam illustrissimi Rudolphi, splanchnologiam illustrissimi Knape, et simul, ducibus; viris his illustrissimis exercitationibus in arte cadavera secandi interfui. Frequentavi porro pharmaciam celeb. Turte, pathologiam semioticen et therapiam generalem celeb. Fr. Hufeland, cursum operationum chirurgicarum

illustrissimi Graefe, nosologiam specialem ill. Horn, pharmacologiam celeb. Link, materiam medicam celeb. Osann, institutiones fascias applicandi ill. Mursinna.

MDCCCXVIII d. XV Aprilis in Universitate litteraria Goettingensi curriculum academicum continuare coepi et civibus academicis ab ill. Bauer adscriptus sequentes praelectiones frequentavi: therapiam specialem et ophthalmatricen ill. Himly, chirurgiam generalem et specialem ill. Langenbeck, artem obstetriciam ill. Osiander. Simul et excercitationibus clinicis tam medicis quam chirurgicis interfui. D. IV. m. Novembris celeb. hanc universitatem adgressus et civibus academicis ab ill. Weifs adscriptus iterum per annum dimidium exercitationibus practicis in nosocomio Caritatis duce ill. Horn, et in Policlinico Regio ducibus illustriss. C. W. Hufeland, Osann, Busse et Bernstein interfui,

Tentamine nunc et examine rigoroso coram Gratiosa facultate medica Berolinensi, et cursu anatomico chirurgico absolutis, spero fore, ut summos in medicina ac chirurgia honores, dissertatione rite defensa, adipiscar.

Theses defendendae.

1. *Veteres sanguinem in pulmonibus refrigerari jure contendere.*
2. *Morbus sthenicus universalis existere nequit.*
3. *Icterum nonnisi ex resorptione oriri nego.*
4. *Operatio cataractae, quae alterum oculum obscurat, visu alterius licet integro, sine scrupulo instituenda est.*
5. *Depressio lentis crystallinae ad tollendam myopiam non est ubique contemnenda.*
